



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Quaestio 3. De auctore potestatis Inq[ui]sitorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

nec scimus cuius Pontificis sit. & quamvis id in ea prouincia fiat, alibi ius commune omnino obseruandum censet; nam & experientia docet, in tam iuuenili etate non facile contingere tam acre adesse iudicium, & tantam prudentiam, quanta ad hoc grauissimum officium exercendum requiruntur.

Non tamen ambigo ex causa spectata persona probitate, doctrina & prudentia, super hac etate a iure communi requisita, dispensari posse.

Cur in Episcopo 30. anni sufficiant, non sic in Inquisitore.

Quod si quis quærat, cur in Episcopo, qui est Inquisitor ordinarius solum postuletur annis tricesimus. cum in cunctis. §. 1. de electio. in Inquisitore aut quadragesimus, causam docet Panor. in d. e. c. in cunctis. §. 1. nu. 6. dicens; Sed forte hoc contingit, quia promouendi in Episcopos transeunt cum magna Inquisitione: nam recipiuntur testes, & discutitur prius promotio in consistorio Papæ in collegio Cardinalium. Item quia promotus ad tantam dignitatem presumitur ex omni parte idoneus, sed officium Inquisitionis non committitur cum tanta indagatone, & ideo voluerunt iurati sit maturus a tate. hactenus Panormitanus.

Glossulemus in clem. nolentes. de heret. §. 1. verbo quadragesimus, dicebat hæc esse de arbitrarijs: de quibus rationem reddere non cogimur, iuxta dictum iurisconsulti in l. non omnium. ff. de legibus.

Ceterum hæc 40. annorum ætas Inquisitoribus statuta & requisita videri potest, vel quia hoc tempore solent prudentissimi esse homines, vt ait Dionysius lib. 2. Rom. antiquitat. vel quia eane potissimum viget mens & intellectus, vt ait Arist. lib. 7. politico. ca. 6. vel denique ob alias causas, quas grauius inquirat Conradus Brunus lib. 4. de heret. c. 1. sed vide Tabiès in sum. verbo, Inquisitor. §. 1. & Locatū eodē verbo, n. 4. et Simacam de cath. inst. tit. 34. n. 1.

DE INSTITVTIONE Inquisitoris.

QVÆSTIO III.

De auctore potestatis Inquisitorum.

A Papa est Inquisitoris potestas,

Tertia quæstio est: Inquisitor a quo potestate habet, vt tale officium exequatur? Respondemus, quod a domino nostro Papa, qui interdum immediate Inquisitorem instituit oraculo viuæ vocis, & per suas litteras Apostolicas, vt fecit de multis: interdum committit alicui domino Cardinali, seu eius Legato: regulariter tamen committit Magistro & Prioribus Prouincialibus Ordinis Prædicatorum; Generali ac Prouincialibus Ministris Ordinis Minorum, quatenus in partibus eis traditis, valeant de fratribus sui Ordinis de Inquisitoribus prouidere: ita habetur in eorū priuilegijs Apostolicis.

COMMENT. LII.

Respondemus, quod a domino nostro Papa. Et hoc est commune omnium decretum, Locati in opere iudiciali, verbo, Inquisitor. nu. 5. Repertorijs Inquisitorum verbo, Inquisitor. Si item an Inquisito

res. & ceterorum. quod est apertissime definitum. Apostolico rescripto Clementis iij. incipiente: Catholica fidei. relato apud Eymericum supra par. 2. §. nam si prædicta sedes. quod refert iterum Eymericus paulo post in hac parte, q. 6.

b Regulariter tamen committit Magistro & Prioribus Prouincialibus, &c. Ratio vero potissimum, cur summi Pontifices tribuerint hanc potestatem eligendi Inquisitores Apostolicos Magistris Generalibus & Prouincialibus ordinis Prædicatorum, & Minorum, ea fuit, quoniam ipsi maiorē notitiā presuntur habere de Fratribus suis, & propterea facilius iudicant, qui sint magis idonei, vt tanto muneri præficiatur adde Syluestriū in simas, verbo, heresis 2. q. 1.

Multis vero Pontificum rescriptis constat de hac potestate Magistris Generalibus & Prouincialibus veriusque ordinis memorati concessa: Prædicatoribus quidem rescripto quodam Innocentij iij. incipiente: Licet ex omnibus. quod est impressum in bullario litterarum Apostolicarum in fine huius operis. Itē alio Alexandri iij. quod incipit: Olim presentiens. quæ nos authentica vidimus in Archivo Inquisitionis Bononiensis.

Minoribus vero eandem potestatem tribuit Clementes iv. rescripto incipien. Licet ex omnibus. & Alexander tr. rescripto item incipien. Licet ex omnibus. quorum, & multorum aliorum ad hæreticam prauitatem coercendam spectantium, authenticorum quidem cum pendente plumbeo, nobis copiam nuper humanissime fecit Illustrissimus & Reverendissimus Cardinalis Frater Felix & Peretus de Montealto vir piensissimus, & hæreticorum hostis accerrimus, quæ suis locis sunt notata.

Hodie in tota Italia Apostolici Inquisitores non eliguntur a Prelatis Ordinum prædictorum, sed a Reverendissimis Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus in vniuersa republica Christiana, qui diligenti inuestigatione facta eos eligunt. in Hispania etiam præses inquisitionis Inquisitores constituunt. Vide d. quæst. 9. c. 1. c. m. 16. fine.

QVÆSTIO IIII.

Inquisitor fit ne iudex ordinarius, an delegatus.



Varta quæstio est: Vtrum Inquisitor fit ordinarius vel delegatus?

Respondemus, quod non est ordinarius, sed delegatus domini nostri Papæ, quia nullam habet iurisdictionem, nec in personis, nec in criminibus, nec in causis, nisi vbi quæritur, & circa quos ei confert dominus noster Papa. vnde licet Episcopi vtantur potestate ordinaria in non exemptis, & delegata in exemptis, iuxta c. Ad abolendam. §. si qui vero. de heret. & c. Per hoc. §. siue autem ordinaria. de heret. lib. 6. Inquisitores tamen non ordinarij, sed semper delegata vtuntur, quia auctoritate Apostolica; ita habetur supra in secunda parte, in litteris Apostolicis præfatis Urbani iij. & Clementis iij. Præ cunctis, & infra. Vt autem Inquisitionis officium contra hæreticos in præfatis partibus possit efficacius adimpleri: discretioni vestrae per